Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36534
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

suspicont. Mosoch. cappadoces. Unde et urbs apud eos usque hodie mazeca dicitur. Porro lxx interpretes capthorim cappadocas arbitrantur. Thiras. thraces. quorum non satis immutatum uocabulum est. Scio quendam gog et magog tam de presenti loco quam de ezechiel ad gothorum nuper in terra nostra bacchantium hystoriam retulisse. Quod utrum uerum sit, prelii ipsius fine monstratur. Et certe gothos omnes retro eruditi magis getas quam gog et magog appellare consueuerunt. Hee itaque vii. gentes quas de iafeth uenire stirpe memoraui, ad aquilonis partem habitant. Filii gomer aschanaz. et rifath. et thogorma. Aschanaz. greci reginos uocant. rif.
Rifat paflagonas. thogorma. frigas. Filii autem iauan. elisa. et tharsis et cethim. et dodanim. Ab his diuise sunt insule nationum in terris suis. uir secundum linguam suam et cognationem suam et gentem suam. Ab ionibus id est grecis nascuntur helisei qui uocantur eolides. Unde et quinta lingua grecie aeolis appellatur quam illi ΠΕΜΠΤΗΝ ΔΙΑΛΕΚΤΟΝ uocant. Tharsis iosephus cilicas arbitratur θ (id est theta) adspirationis litteram uitiose a posteris in tau dicens fuisse corruptam. Unde et metropolis eorum ciuitas tharsus appellatur Paulo apostolo gloriosa. Cethim cittii, a quibus hodieque urbs cypri cittium nominatur. Dodanim. hrodii. Ita enim lxx interpretes transtulerunt. Legamus uarronis de antiquitatibus libros et sinnii capitonis et greci flegontis. ceterosque eruditissimos uiros, et uidebimus omnes pene insulas et totius orbis litora terrasque mari uicinas grecis accolis occupatas. Qui ut supra diximus ab amano et thauro montibus omnia maritima loca usque ad oceanum possedere britannicum. Filii autem cham, chus et mesraim et futh et chanaan. Chus hodieque ab hebreis ethiopia nuncupatur. mesraim egyptus. futh libies. A quo et mauritanie fluuius usque in presens futh dicitur. Omnisque circa eum regio futensis. Multi scriptores tam greci quam latini huius rei testes sunt. Quare autem in una tantum climatis parte antiqui libie nomen resederit. et reliqua terra uocata sit affrica, non huius loci nec temporis est. Porro chanaan obtinuit terram quam iudei deinceps possederunt. eiectis chananeis. Filii autem chus. saba et euila. et sabatha et regma et sabathaca. Saba a quo sabei. De quibus uirgilius: solis est turea uirga sabeis. et alibi Centumque sabeo ture calent are. Euila getuli in parte remotioris africe heremo